

IN LIBRUM NONUM

EPITOMA.

CRetæ descriptio nono libro habetur, Cretenesiumque rebellio: Veneti, Malliaco Comite ex insula ejecto, Cretam receperunt: Insulani nobiles a Veneto defecerunt imperio: Candida urbs a Venetis alienata est: Creteneses post varios bellorum casus pene omnes in fidem redierunt: Novi insulanorum motus iterum Venetos reparare bellum coegerunt: nec multo post insula pacata est: Creteneses ad Joannem Vatazum defecere: Auctores defectionis, hostibus insula ejectis, merito supplicio affecti sunt: Exagonarum classis ante Byzantium a Venetis profligata est: Nec multis interjectis diebus eisdem ferme locis & Vatazana classis: Cum Genuensibus fœdus in novem annos est ictum: Veneti in Fœdericum Imperatorem & Ecelinum terra marique arma cœpere: Genuenses Fœderici Imperatoris & Pisanorum classem circa Cynnum insulam ingenti prælio superavere: Jadera quinto a Venetis defecit, nec multo post recepta est: Ducariorum Comitiorum explicatio: Veneti, Alexandri Pontificis societate freti, Ecelino urbe ejecto, Patavinis servitutis jugum exemerunt: Ecelinus duodecim Patavinorum millia Veronæ trucidari jussit.